...mirus
...ceps
Fatowic Nicolai Lachrymae Lechra

LACHRYMÆ LECHIÆ,

in luctuoſo officio

SERENISSIMI

SIGISMVNDI CASIMIRI

POLONIÆ & SVECIÆ PRINCIPIS,

Ad Vrnam Sepulchralem.

A

NICOLAO FATOWIC Philoſ. & Med. Doct.
ſubmiſſo officio & intimo dolore
DD. CONSECRATÆ.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Cæſarij,
Anno Domini, 1647.

Rosa flos honorq; Diuum, Decus illa Gratiarum.



Inconcessa vides vigeo, florebo vere perenni
Et pubescentem nulla senecta premet.
Astra fauent superi mihi donauere vigorem
Namq; meum est Patriæ condecorare caput.

ILLVSTRISSIMO ac REVEREN-
DISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO PSTROKONSKI,

CHEŁMENSI EPISCOPO, ABBATI TINECENSI, &c.

Domino & Patrono amplissimo.

AVdebam prodire cum Patriæ lachrymis in conspectum Tuum Illustrissime Antistes erga quàm cum sis effusissimus, iacturam eius non fers nisi acerbissimè. Quem enim Te præstitisti toties eius commodis prospiciendis & integritati prouidendo, facilè est statuere; neminem esse ita facundum in dicendo, quàm Tu in hac specula Senatoria constitutus agis, pro bono communi

excubando. Incommoda ergo illius potentius luges, quippè quam charitate complexus es immodicè. Vidit idipſum in Te Sereniſſimus VLADISLAVS *Dominus noſter Clementiſſimus & hoc Patriæ ſtudium apertiſſimis teſtimonijs comprobauit, atq; ad altiora virtuti quod debetur ſtruxit gradum dum Te Epiſcopum Chełmenſem fecit, vt Maiorum Tuorum claritati inſiſtens eos altiori progreſſu effingas. Immature è vita functum deploras* Sereniſsimum Sigiſmundum Caſimirum *quod archiuum dignius tanta dignitate, quàm cum lachrymis Tuis, Patriæ lachrymæ, & memoria ad ſeram ventura poſteritatem. Pluribus commendent alij me tot inter Roſcios monuit mediocritas in exigua tabella communem connotare planctum. Tu parces neq; à conſpectu Tuo arcebis, & vt prudens in illo ſi aliquid impexi reprehendes, non tamen vt æſtimator non iniquus reprehendes Dolor fucatus ſi diſertus fictus ſi ex arte compoſitus. Aget præterea pro me Seneca.*

Paruæ curæ loquuntur ingentes ſtupent.

Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ.
Celſitud. Tuæ

Seruus.

NICOLAVS FATOWICZ
Philoſoph. & Med. Doctor.

LACHRY-

LACHRYMÆ
LECHIÆ.

IActuram Pullata & ſqualore ferali maculoſa, occaſu tam clementiſſimi ſyderis SERENISSIMI PRINCIPIS SIGISMVNDI CASIMIRI dum intimo deflet dolore Polonia, quis eſt qui tantis caſibus non ingemiſcat, quis eſt qui non è profundo pectore ducat ſuſpiria. Ita preſſa dolore & lugubri conſternatione perculſa in pignore ſuo collachrymatur, vt neſciat eiuſne dolorem lenire & ſolari debeat, qui ſe tot exhinc annis euiſceratum Patriæ dedit, an verò ſuæ infelicitati compati velit, & communem (nam nunquam explere) ſaltem alleuare complorationē.

Et si quando nunc nunc infaustissimum est illud tempus, in quo vel inuito Ennio liceat silentium rumpere, & quem à dignationis splendore arcebat maiestas, in tanta orbitate dedititia probatur pietas; & integrum est Regibus collachrymari. A capite humano corpori venit valetudo; cur non concutiet membra, qui caput vexat dolor. Non ergo improbabis pietatis hoc officium ô Patria mœstissima, dum in squalore tuo ad feralem vrnam Serenissimi Principis adijciam lachrymas. Si autem pro Tua dignitate non satisfecero, (vt certo polliceor) quæso obtestorque in tantâ ærumnâ non est è disertissimis qui me iustè cōdoceat flendo solari, nam cùm omnes cæpit morbus faciliùs credunt solamina & præcepta dari benè valentibus, & verè duras nobis Philosophiam leges imposuisse experiuntur. Ingemiscit Patria abesse euulsa Regni viscera, & à se con

citato

citato tumultuarioque mortis impetu diuulsa suspirat; grata futura est, vt Dijs (si quis in hoc publico luctu) thure vel exiguâ victimâ adoleuerit. Pietatis basim regnorum occupandorum & conseruandorum omnes esse volunt, neminemque iuæè ad sceptra nisi hac Duce venisse professa sententiâ assentiuntur. Et meritò

Synesius. *Pietas primum substernitor, fulcrum & crepido cui firmiter insistat simulachrum hoc Regni.* Vt enim nauis, ædificiorum, aliarumque rerum carinas aut fundamenta volumus esse & prima & firmissima: sic in Republica hanc primam partem cui certius quam Atlantis humero integritas innitatur cōmunis. Et profectò ad suam felicitatem è manu diuina transfusam, si quibus Respublica Polona gaudebat bonis, è Iagiellonia pietate contiuuatâ seriè in se promanasse recognoscit, & gratâ mente profitetur. Hoc primum vinclûm & coagulum

fuit,

ſuit, hoc religionis Chriſtianæ in viſceribus Patriæ firmamentum; dum IAGELLO VLADISLAVS & Regis & Apoſtoli aſſumpto munere, ruditatem à populo ſibi ſubiecto, cæcaſque illas noctes prauæ religionis diſpellit, atque in vera Chriſti fide feros animos manſue facit, verumque cultum condocet diuinum. IAGIELLONIVS erat zelus fidei propagandæ, dum Regnũ à Bohemis ſibi oblatum eò quòd in Huſſitana hæreſi deponenda pertinaciores eſſent nullo modo acceptare. IAGIELLONIVM eſt per pietatis gradus nominis immortalitatis petere callem. Magnam darem ſæculis Iliadem ſi hæc vt pro decore non poſſum ſaltem narratione attingerẽ.

Nolo modis tenuare paruis

neque recentiſſima SIGISMVNDI III. neque ſpirantia viuaque peraugustæ Domus IAGIELLONIÆ pietatis exempla commemorabo, cùm hæc in oculis noſtris

ſtris quotidie & circumſtent, quæ feram poſteritatem tantorum erga Deum operum obliuiſci non ſinent. Dabis & Tu veniã Auguſtiſſima Domꝰ Auſtriaca, quod in acerbiſſimo dolore quo parentas Tuo Sanguini, pietatis Tuæ non aſſumã materiam. Quæ enim regio, quis locus ita diſſitus, & remotus, quò Tuorũ fama laborum non pertingat; qui populus ita extremus vt neſciat quod pietatis arma tractes; parata omne ſubire periculum. Sed ſi me abreptum à ſcopo (vt plerumq; accidit in doloris grauitate) quiſpiam exiſtimabit intelligat hoc me fine feciſſe, vt refricaremus quo nobis identidem gratulabamur ſpe indubitata illecti futurum hũc noſtrũ IAGIELLONIDEM qui ſuorum facta retexet & Patriâ pietate & triumphis innutritus, VLADISLAOS SIGISMVNDOS continuabit. Tanto ex Ænea non poterat naſci niſi Anchiſioniada. Magnum

enim eſt quâ quis ſtirpe prodeat ramus:

Scilicet eſt olim vis rerum in ſemine certa

Et referunt animos ſingula quæq; patrum.

Hic ergo animus Patris, maiorum ſuorũ Archetypus, tantis ſtimulis inflammatus, nobilitatem ſanguinis tam altò ducens, vnaque mentis decorem præſeferens; quid Patriæ non pollicebatur, quid non ominabatur, quibus non votis vniuerſi aſpirabant. Inſederant animo Paterni triumphi, coàctus Suecus ad pacem petendam, ducta ante currum ſub lauro Moſchouia, fuſi fugatique Scythæ, Turca ſuæ potentiæ non fidens, toties ſupplex quoties voluit VLADISLAVS. Hoc ergo iter immortalitatis ſuſceperat terendum, in hac Schola, ſub hoc Præceptore in laureis erudiebatur. Stupebant exteri indolem ſingularem, dum eorum res geſtas, regiones. populos inquirebat, & magnum futurum Principem prædicebant. Experiebantur dome-

domeſtici in dictis prudenter, ſolerter re-
ſponſis mentis acrimoniam, & in ſpem
certam erecti, indubitatam Patriæ vatici-
nabantur proſperitatem. Videre mihi
videor præſentem illum animũ verè Mar
tium, verè ad omnia ſumma ac planè diui-
na natum, qui ad corda effuſiſſima ſuorũ
ſubditorum diuiniorem famulatum pie-
tatis, integritatis, ſanctitatis, moderatio-
nis, accingebat. Ex ætatis huius vere pri-
mæuo & hoc diluculo certam diei clarita-
tem conijciebamus, dum nihil puerile, ni-
hil leue cogitaret, ſed ante ætatem ſapere
videretur, & vt Alexander de Philippi ſo-
licitus triumphis, redeuntes victores ab
hoſtibus ſciſcitabatur, ita noſter SIGIS-
MVNDVS de Paternis. Experti eſtis dum
variorum populorum ſitus ex lineamen-
tis effictis monſtrabantur, quâ auiditate
de vnoquoque percontãtem intuiti eſtis.
Dum vicinorum hoſtium, caſtra, meta-

 tiones,

tiones, ordines proſpiciebat; quam inſi-
tus ille calor toties prorumpebat, dum in
tenerâ illa ſua ætate hoſtilitatem inimicis
Martio pectore non ſemel edixiſſet. Ro-
mani quò iuuentus magis incitaretur ad
facta laudabilia continuanda, maiorum
ſuorum pugnas, victorias depingebant, vt
publico paterent proſpectui cum hoc Lē-
mate: *Si eritis ſicut iſti, eritis ſicut iſti.* Gene-
roſæ menti Sereniſſimi Principis altiùs in-
ſederat gliſcens ac ſerpens ignis è Paternis
victorijs (quid victorijs maius res verbum
poſtulat prodigijs) fuiſſet non abſimilis
Patri ni fata inclementia præpropero cur-
ſu ſubtraxiſſent. Quantus bellator ſcri-
beretur & legeretur ex tanto Patre. quæ
marmora cōdecoraret ſuo nomine, quos
faſtos adimpleret. Sed eheu fatorum con-
uerſione pro laureis deſideratiſſime Prin-
ceps triſte funeral & funeſtiſſimam ſpecta
mus Tragædiam. Pro ſceptris quæ para-

ueramus ligones inauſpicatiſſimos & vrnam infeliciſſimam extruximus; Corona Regia iã non Regia amiſſo ſuo flore ſpinis acutiſſimis doloris intertexta. O Soles infelices qui nobis lucem futurorum operum Tuorum obſcurarunt. O tempora infauſtiſſima quæ Tuo ſplendore non iam amplius niteſcent, ô ætatis ver auguſtiſſimum, quàm anticipata hyeme interciſum. Hæccine autumationes & vindemiæ noſtræ? hæcne votorum reſponſa? hæccine maiorum veſtigia in ſpatio tam anguſto limitata? Cuius aſpectu ſatiari non poteramus, in quo omnes defixas habebamus cogitationes, à quo non ſpes à longe ſuſpiciebamus, ſed ex Genio illo Paterno continuata publica commoda ſolatiaque colligebamus: Hem præcipiti Epilogo ingenti tormento animorum non iam plus ex Te reſtat, quàm quod optare licet habere non poſſumus.

 Refert

Refert Plinius ceruum cùm acerrimis doloribus torquetur, & enecatur, oculos ad partem dolentem non conuertere, ſed quodammodo obſtupefactum cælum intueri, mali ſui exinde ſperans & proſpiciens leuamentum. O Patria grauiſſimo & nullis lachrymis iuſtè deflendo oppreſſa caſu, quis Te nunc ſtupor inuaſit, quanta conſternatio perculſit, quam acerbiſſimo planctu ingemiſcis; *Vide Domine quem vindemiaueris.*

Illa manus quæ ſceptra Sibi geſtanda parauit, Hem fati neceſſitati immaturè conceſſit. Sed quid planctus proſunt? quid querimoniæ? Aram Spei (non Templum Publij Victoris Bonæ ſpei) ſed illud Capitolium æuitatis cælum intuere. *Hinc vulnus inde ſalus.* Dabit Magnus agricola vt ſi hic culmus non nos beauit fœcunditate, repetito anno, benefico Sole Manipulus VLADISLAI metet fructum ſuum in

tempore ſuo. Ferenda eſt humana conditio, humanum à nobis nihil alienum. Iunior eſt quid refert, non numerantur anni, viuet perennitate nõ ætate. Videſné in agris vt fruges ſatæ in herbam, in culmum, in ariſtam ſurgant, matureſcunt & metuntur: ſic in nobis, venimus in vitam quidam in herba, alij in culmo pereunt, plerique in maturitate metuntur. Da vota Patria ſuperis, vt SERENISSIMVM VLADISLAVM ſeruent diu ſaluum, diu ſoſpitem, diu incolumem, vt magnus ille Paterfamilias cæleſtis poſt euulſam (cuius occaſu ingemiſcimus) plantam, feliciores inſerat, & demat de noſtris diebus, viuat vt Auguſtal ſacrum, viuat vt Patriæ Pater. Tu verò Academia Cracouienſis quam iſte dolor peracriter peruaſit, dum litas Deo victimam illibatam, in hoc ardentiſſimis votis cum Areopago Tuo conſociata es, vt æuiternum pro magnis

in Te

in Te collatis beneficijs pendas tributum pro VLADISLAO vota da, cælo liba. Stat pro Te Tuus Diuinissimus Orator B. IOANNES CANTIVS, aget causam & dolorem SERENISSIMI alleuabit, damnaq; tanta in Rempub. inuecta resarciet, & desuper in tempore exoptata implebit consolatione.

Superiorum permissu.